

publicam formam quam per alium, aliis occupatus negociis, scribi feci fideliter redege, signum meum solitum cum dictorum dominorum procuratorum appensione sigillorum ibidem apponens in testimonium premissorum, requisitus et rogatus.

(Scellé sur double queue de parchemin des deux sceaux de l'évêque de Zamora et de Ruy Bernard).

Archives Nat., J 603, n° 69 *ter*.

45

*Suite de règlement de comptes entre les rois de France
et de Castille.*

Paris, 18 mai 1392.

Cum ad petitionem et requestam domini Alphoncei, episcopi Zamorensis et domini Roderici Bernardi, ambaxiatorum et procuratorum serenissimi principis domini Henrici regis Castelle et Legionis, et per ipsum dominum regem ad illustrissimum principem et dominum dominum Karolum regem Francorum transmissorum, idem dominus rex Francorum totum et quidquid sibi de summa centum mille francorum auri quam bone memorie Domino Johanni quondam regi Castelle, Legionis et Portugalie, dicti domini Henrici regis progenitori, gracie mutuaerat, debeatur et possit deberi, mera et fraterna liberalitate seu gracia, certis causis in suis super hoc confectis litteris donaverit, quittaverit et remiserit, exceptis tamen triginta quinque mille francis per ipsum dominum regem Francorum, super dicta summa centum mille francorum et in ipsius deductionem, certis personis datis et assignatis, videlicet dominis Guillermo de Nailhac et Galchero de Passac, militibus, viginti mille, dominis Jacobo et Moreleto de Monmor fratribus ac Johanni de Baisy eciam militibus, tribus mille, Petro Luppi d'Ayale, militi, decem mille, magistro Roberto de Noyers, electo Evoracensi et archidiacono Cordubensi, duobus mille, prout hec per donorum et assignacionum litteras per dictum dominum regem Francie super hoc confectas lacius possunt apparere. Et insuper, prefati procuratores et ambaxiatores Castelle, tante liberalitatis et fraternalis dilectionis beneficium et gratiam cognoscentes et ei correspondere

grata vicissitudine volentes, ad prefati domini regis Francie gen-
cium consilii petitionem mutuam sibi factam, totum et quidquid
causa et occasione certarum galearum per dictos dominos Johan-
nem patrem et Henricum ejus primogenitum Castelle et Legionis
reges clare memorie domino Karolo quondam Francorum regi
ultimo defuncto ac dicto domino Karolo regi Francorum ejus pri-
mogenito, ad ipsorum servicium diversis temporibus transmissarum
debeatur et possit deberi, virtute suarum procuracionis litterarum,
mutua fraternali dilectione et certis causis in suis super hoc con-
fectis litteris prefato domino Karolo regi Francorum moderno
liberaliter donaverint, quittaverint et remiserint, prout hec omnia
per litteras donacionum, quittacionum et remissionum hinc inde
super hoc confectas laicius possunt apparere; verum cum hinc inde
graciis et remissionibus predictis sic factis et concessis, gentes
consilii dicti domini regis Francorum predictis procuratoribus et
ambaxiatoribus Castelle dixerint et exposuerint quod prefato
domino regi Francie propter factum dictarum, galearum certis
causis legitimis, summa decem et novem mille francorum auri debe-
batur, prout inspectione compotorum super hoc per partes confec-
torum dicebant apparere, petentes illam summam persolvi, dicerent
insuper quod de et super dicta summa centum mille francorum
auri prefatus dominus rex Francie per suas litteras Petro de Vilanis,
militi et cambellano ipsius ac domino Robineto de Braquemont
summam octo mille francorum, certis causis dederat et assigna-
verat, videlicet dicto domino Petro summam trium mille francorum
et dicto domino Robineto summam quinque mille francorum, prout
hec per prefati domini regis Francie donacionis et assignacionis
litteras super hoc confectas eciam poterant apparere, petentes ut
supra et ad opus dictarum assignacionum requirentes quatinus
dicta summa vel quantitas octo mille francorum, non obstante
quod propter inadvertenciam et absenciam dictorum militum
(sic) in excepcione triginta quinque mille francorum predicta
non foret expressata, per dictum dominum regem Castelle pre-
dictis militibus haberet persolvi, dictis procuratoribus et am-
baxiatoribus dicti domini regis Castelle ex contrario hoc facere
renuentibus et asserentibus quod nec id facere nonnullis causis per
ipsos allegatis poterant seu debebant; tandem inter gentes consilii
dicti domini regis Francie ac procuratores et ambaxiatores Cas-
telle predictos, ad tollendum super hiis inter prefatos dominos
omnem discencionis et discordie materiam, concordatum fuit et
conventum, quod prefati procuratores et ambaxiatores de premissis

prefato domino regi Castelle et Legionis et gentibus sui consilii relacionem facient et bona fide totis suis conatibus erga dictum dominum regem Castelle et suum dictum consilium, medio juramento super hoc per ipsos prestito, procurabunt et laborabunt ad hoc quod summa octo mille francorum predicta prefatis domino Petro et Robineto juxta suas assignaciones sibi super hoc factas per ipsum dominum regem Castelle persolvetur et habeat persolvi, non obstante quod in dictorum centum mille francorum donacionis seu remissionis litteris predictae octo mille francorum assignaciones non fuerint cum aliis triginta quinque mille francis, ut dictum est, comprehense. Et in casu quo dicto domino regi Castelle placebit hoc facere et suas super hoc litteras mittere sufficientes, gentes consilii dicti domini regis Francie, totis viribus suis, bona fide, prestito super hoc per ipsos juramento, eciam procurabunt et laborabunt ad hoc quod dictus dominus rex Francorum summam decem novem mille francorum predictam dicto domino regi Castelle fratri suo totaliter remittat et quittet, suas super hoc litteras opportunas concedendo.

Acta fuerunt hec inter dictas partes, facta et concordata Parisius, die octava maii, anno Domini millesimo ccc^{mo} nonagesimo secundo, presentibus ibidem discretis viris dominis Petro Fernandi, canonico ecclesie Zamorensis et Berthyno Pulcrifamuli, Johanne de Farbus ac Johanne Vigerii, Ambianensis, Atrebatensis et Claromontensis diocèsis presbiteris, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

(Signum Theobaldi Hocie). Et ego Theobaldus Hocie, clericus Autissiodorensis dyocesis, publicus auctoritate apostolica notarius secretariusque domini regis Francie predicti, tractatibus conventionibus, promissionibus, juramentis ac omnibus et singulis suprascriptis dum sic agerentur et fierent, una cum testibus suprascriptis et notario publico infrascripto, presens interfui eaque omnia et singula sic fieri vidi et audiui et in hanc formam publicam redegi quam aliis occupatus negociis per alium scribi feci, signum meum ibidem apponens consuetum, requisitus et rogatus.

(Signum Johannis Roderici de Villaycan). Et ego Johannes Roderici de Villaycan, clericus Burgensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius et secretarius prefati domini regis Castelle et Legionis, tractatibus, convencionibus, promissionibus, juramentis omnibusque aliis et singulis supradictis, una cum testibus et notario prescriptis presens fui eaque sic fieri vidi et audiui et deinde presens publicum instrumentum, me aliis occupato negociis, per alium fideliter scriptum, signo meo una cum magistro Theobaldo notario prescripto signavi solito, requisitus, in testimonium premissorum.

Archives Nat., J 603, n° 69 bis.